

Nisi forte quandoque, quatenus dicta induxit Meteora. Manifestus igitur est hic Lunæ influxus, ut supervacaneum videatur, huic ulterius exponendo insistere.

Est porro alia influxus species in corpus animale, quæ non ab illis vulgaribus Atmosphæræ qualitatibus pendere videtur; sed potius immediate ab illa vi, quæ per vasta Cœlorum spatia effusa, intima cujuscunque materie penetrabilia afficit, ingentes Sphæras in orbitis suis retinet, a vero tramite in vario situ abstrahit, turbat, quæ est universalis Gravitationis causa, quæque probabilius est fundamentum omnium Proprietatum corporearum; quippe, quæ in particulis minimis fluidorum, solidorumque